INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXXV.
USQUE AD DIEM XV. MARTII ANNI MDCCCLXXXVI.

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. FRANC. HIPLER** DE THEOLOGIA LIBRORUM QUI SUB DIONYSII AREOPAGITAE NOMINE FERUNTUR. PARTICULA QUARTA.

BRUNSBERGAE, 1885.

TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. WILHELMUS KILLING,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

De theologia librorum qui sub Dionysii Areopagitae nomine feruntur.

Particula quarta[1]).

De ecclesiastica hierarchia.

101. Ad instar legalis et coelestis hierarchiae etiam ecclesiastica nostra tripliciter est divisa, in sanctissima videlicet mysteria, in deiformes sacrorum ministros et in illos, qui ab his ad sacra cuique congruentia promoventur. Quaelibet deinde ex tribus his partibus primos, medios et extremos habet ordines, de quibus singillatim nunc agendum.

Sanctissima itaque mysteriorum consecratio primam hanc habet virtutem, ut profanos expiet, mediam vero ut expiatos illuminet, extremam denique et summam ut sacris initiatos et illuminatos consummet ac perficiat.

Porro sacrorum ministrorum ordines virtute prima per mysteria profanos expiant, media expiatos illuminant, postrema eos qui divini luminis participes facti sunt perfecta visarum illustrationum scientia absolvunt.

Eorum autem qui initiantur primi expiantur, medii illustrantur et ad quorundam sacramentorum adspectum admittuntur, postremi sacrarum illustrationum consummante scientia collustrantur (E. V, 1, 2).

I. De sacris initiationibus.

102. Jam ad celebrandam triplicem mysteriorum vim accedentes ex sacris scripturis probemus sanctam divinamque regenerationem esse simul expiationem et illuminationem, communionis autem seu synaxeos mysterium et sacri unguenti consecrationem scientiam esse et cognitionem, quae divina opera consummet et per quam sacrosancte unifica ad Deum ascensio et beatissima cum Deo fiat communio (E. V, 1, 3).

1) Cf. particulas I, II et III Theologiae Dionysiacae in Indicibus Lectionum Lycei Regii Hosiani per aestatem a. MDCCCLXXI, per hiemem a. MDCCCLXXIV—V et per aestatem a. MDCCCLXXVIII instituendarum, inprimis part. III. pag. 18, No. 92.

103. Verum quum ex anima et corpore homo constet, sacramenta quoque hominibus accomodata ex sensibili quodam (signo visibili) et intelligibili (invisibili gratia) sapientissime composita sunt. „Unde semper hic nobis erit contemplandum, quorum characterum sint effigies et quarum rerum occultarum imagines existant. Sensibilia enim signa simulacra sunt intelligibilium ad quae manuducunt et viam sternunt, intelligibilia vero sacramentorum sensibilium principium sunt atque scientia[2]).“

104. Quo fit ut sanctorum sacramentorum divina institutione „totus homo, et anima et corpus“ divinae communionis particeps fiat; „anima scilicet purissima contemplatione et sacramentorum perfectorum scientia (*θεωρίᾳ*), corpus vero per divinissimum quasi in imagine (*ὡς ἐν εἰκόνι*) unguentum, per sanctissima divinae communionis signa (*σύμβολα*), vel per sacram aquam sanctificatur, et sic integra totius hominis redemptio efficitur, dum per universales sanctificationes perfectissima eius futura redemptio annuntiatur[3]).“

1. Mysterium baptismi purgativum.

105. Omnis hierarchiae finis assimilatio est et unio Dei, quae dilectione Dei et observatione mandatorum acquiritur. Verum quum eum qui Deum diligere et debet et vult prius esse oporteat, antequam operetur, homines quoque, qui mortui nascuntur atque ideo quodammodo non sunt, prius regenerari oportet, antequam Deum diligant. Id quod perficitur in sacramento divinae regenerationis (*ἀναγέννησις*) quod illuminationis mysterium (*μυστήριον φωτίσματος*) quoque appellatur ex effectu, quia primum lumen confert omniumque divinarum illustrationum principium exstat. Itaque divina regeneratio (*θεία γέννησις*) est initium mandatorum observationis et sanctificationis, unde accuratius illius symbola sunt contemplanda.

106. Unusquisque profecto, qui ad insitum naturae lumen recurrerit, principio quidem, quis tandem ipse sit videbit, hocque primum sacrum munus (primam gratiam) per suam ad lucem inclinationem referet. Recte autem et irreflexis oculis considerans abditas ignorantiae suae tenebras eliminabit, et ubi ex praedicatione evangelii Deum ad nos descendisse didicerit verbumque divinum fideliter receperit crediderit que in nomine eius (Joan. 1, 12), verecunde accedet ad quempiam sacris initiatum (*μεμυημένον*), ut ad episcopum manuducatur flagitans. Atque episcopus cum laetitia spirituali et gratiarum actione eum excipit atque inter catechumenos recipit. — Paternis deinde eloquiis omnes huius sancti status participes redditi quasi foventur vivificisque formis ad beatum illum, qui ex divina generatione proficiscitur, vitae lucisque plenum progressum efformantur. Ubi vero ad divinam regenerationem aptus quis inventus est, omnes fideles in sacrum locum (*ἱερὸν χῶρον* sive *ἄδυτον*) convenientes hymnum aliquem biblicum decantant. Quo finito episcopus sacrum altare deosculatus ad baptizandum accedit et quid petitum venerit sciscitatur. Tum ipsum iuxta instructionem susceptoris (*ἀναδόχου* i. e. patrini, vel *ἡγεμόνος, χειραγωγοῦ*) infidelitatem pristinam et veri boni ignorantiam necnon vitae divinae privationam detestantem et regenerationem postulantem praemonet integre et toto corde ad Deum perfectum accedendum esse, promittentique se bene et divine victurum esse manum imponit in caput et consignans eum (signo crucis, *σφραγισάμενος*) sacerdotibus mandat, ut

---

2) E. II. 3, 2. *Ἔστι γάρ, ὡς ἐν τῇ περὶ νοητῶν καὶ αἰσθητῶν πραγματείᾳ σαφῶς διηγοροῦται, τὰ μὲν αἰσθητῶς ἱερὰ τῶν νοητῶν ἀπεικονίσματα, καὶ ἐπ' αὐτὰ χειραγωγία καὶ ὁδός· τὰ δὲ νοητὰ τῶν κατ' αἴσθησιν ἱεραρχικῶν ἀρχὴ καὶ ἐπιστήμη.* — 3) E. VII, 3, 9. et D. I, 4. (*αἰσθητοῖς τὰ νοητὰ περικαλύπτειν*). Hac de causa, ubi de sacramentis agit autor, tria semper habet capita, quorum primum rem in universum (*οὐσίαν*), alterum (*μυστήριον*) signum visibile (*δύναμιν*), tertium gratiam invisibilem (*ἐνέργειαν-θεωρίαν*) tractat ritusque ecclesiasticos symbolice exponit. Quae tria capita, ne nimis longi simus, in unum hic coniunximus.

virum susceptoremque describant consortemque quodammodo reddant hoc modo divinorum munerum et ecclesiae.

107. Quibus adscriptis una cum tota ecclesia precans baptizandum discingit et per ministros (*λειτουργούς*) exuit. Sistens deinde ipsum ad occidentem spectantem manusque versus illam plagam aversas protrudentem, ter satanam insufflare eum iubet et verba abrenuntiationis (*ἀποταγῆς*) proferre, tunc ad orientem versum et in coelum intuentem manusque attollentem Christo cunctisque sacris a Deo traditis eloquiis (*θεοπαραδότοις ἱερολογίαις*) assentire. Trinam ei deinde praecipit professionem (*ὁμολογίαν*) tertioque professum benedicendo recipit atque manum ei imponit. Dum vero ministri penitus eum vestibus, quasi vita priori, exuunt, episcopus trino signaculo unctionem inchoans sacerdotibus hominem tradit toto corpore inungendum. Ipse autem ad filiationis matrem (*ἐπὶ τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας* i. e. ad fontem baptismalem) accedens eiusque aquam sacris invocationibus tribusque sacri unguenti crucis formā affusionibus sanctificans sanctorum prophetarum canit hymnum. Deinde post trinam nominis proclamationem hominem a sacerdotibus iam inunctum et in aquam ductum ter immergit, tres divinae beatitudinis personas invocando.

108. Quae trina immersio non solum totalem vitae praeteritae mundationem naturaliter insinuat, sed divinam quoque trium dierum et noctium mortem Jesu Christi, vitae autoris, imitatur, in quo princeps huius mundi non invenit quidquam. Signum vero crucis designat omnium simul carnalium cupiditatum cessationem et fidelem Jesu Christi ad crucem usque et mortem imitationem, quae quidem omnes pie viventes, tanquam Christo Domino conformes et ad imaginem impeccabilitatis eius (*ἀναμαρτησίας*) immutatos, formā crucis insignit. Assiduis enim ad Deum aspirationibus atque totalibus contrariorum mortificationibus res spiritales status deiformis immutabilitate potiuntur. Quare non solum ab omni malitia recedendum, sed viriliter resistendum omni noxiae remissioni nec a sacro unquam amore cessandum, sed continenter illi insistendum. Ad quae sacra certamina sacerdotes etiam per illam sanctam unctionem mystice excitant. Et quum Christus ipse, qui ut Deus certaminum designator est, ut sapiens legum praeceptor, ut pulcher praemiorum distributor — quum, inquam, Christus ipse in pugilibus ut bonus exstiterit, omnes profecto in divina illa certamina cum spiritali gaudio descendent legibusque sapientis ducis insistentes fortiter certabunt, illustrium praemiorum certa spe suffulti, quae illis dabit Christus, bonus certaminum iudex. Atque sic per fortitudinem et probitatem, omnes deificationi suae adversantes spiritus et suggestiones vincendo, ea quae carnis sunt minime curabunt citra naturae necessitatem[4]) commorienturque Christo i. e. mystice loquendo peccato per baptismum.

109. Baptizatum autem sacerdotes una cum susceptore induunt veste alba (*φωτοειδῆς*) rursusque illum ad pontificem ducunt, qui divinitus sacrato oleo virum consignans consummante hac unctione[5]) (*τοῦ μύρου τελειωτικὴ χρίσις*) divini spiritus illapsum elargitur odorisque suavitate eum perfundit. Sacra enim divinae regenerationis perfectio (*τελείωσις*) ea quae perfecta sunt divino coniungit spiritui. Huius autem suavem et sanctificantem adventum (*τελεσιουργὸν ἐπιφοίτησιν*) re vera ineffabilem ii tantummodo spiritaliter cognoscunt, qui sancta et deifica divini spiritus communione digni sunt habiti[6]).

Omnibus demum peractis ad sanctissimam eucharistiam baptizatus vocatur.

---

4) E. III, 3, 7.

5) E. II, 2, 7. *Ὁ δὲ τῷ θεουργικωτάτῳ μύρῳ τὸν ἄνδρα σφραγισάμενος.* Cf. Eus. H. E. VI, 43, ubi simili modo confirmatio „consummatio baptismi“ (*τελείωσις φωτίσματος*) nominatur. Cf. Möhler, Patrologie p. 773 et 877.

6) E. II, 3, 7. De manuum impositione in confirmationis sacramento ab apostolis iam adhibita mentio apud nostrum omnino non fit.

110. Quodsi infantes quoque rationis expertes et divinae regenerationis et sanctae communionis (per fistulam) participes fiant, profanis id quidem risu dignum videtur. Verum cum charitate eis respondendum est, divina nequaquam intelligentia nostra commensuranda esse et plurima quae nos lateant causas habere Deo dignas. Huc accedit, quod deiformes praeceptores nostri ab antiqua traditione edocti ita nos instituerunt. Placuit enim eis admitti pueros hoc modo, ut parentes naturales filium uni ex fidelibus traderent, qui praeclare eum in divinis rebus erudiret. Hunc itaque promittentem, se puerum ad s. vitam informaturum, antistes abrenuntiationes sacrasque professiones profiteri iubet, non quidem alium pro alio rebus divinis imbuens, sed sponsori baptizatum tradens, qui eum ab adversariis tutum custodiat. Sacrorumque mysteriorum consortem eum facit, ut in eis educetur et hac sancta communione firmatus proficiat et a susceptore studiose promoveatur (E. VII, 3, 11).

2. Mysterium eucharistiae illuminativum et unitivum.

111. Quanquam unumquodque sacramentum (*ἱεροτελεστικὴ πραγματεία*) divisas vitas nostras ad uniformem deificationem colligit, uni tamen per excellentiam nomen communionis seu synaxeos (*κοινωνία, σύναξις*) attributum est, quia sacramentum sacramentorum est, (*τελετῶν τελετή*) quod initiatum praecipuorum Dei mysteriorum participem efficit et ex cuius divinis perfectivisque muneribus accedit consummatio (*τελείωσις*) ceteris sacramentis, quae per se imperfecta manent, dum nostri cum illo uno Deo communionem (*κοινωνίαν*) non perficiunt. Vix enim fas est ullam obire hierarchicam functionem, nisi divinissima eucharistia in cuiuslibet initio divinam initiandis conferat communionem. Cuius sanctissimi sacramenti nunc paucis consideremus et ritum et significationem. Tu vero, o divinissimum ac sacrosanctum sacramentum, circumposita tibi symbolice[7]) aenigmatum operimenta revelans, liquido nobis manifesteris mentalesque nostros obtutus singulari et aperta luce adimpleto.“

112. Sanctae synaxeos initium hoc utique fit modo, ut pontifex impetrationem sacram ad altare Dei celebraturus (*εὐχὴν τελέσας ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου*) primum altare ipsum thure incenset. Universum deinde circuit chori ambitum, (*τὴν τοῦ ἱεροῦ χῶρου περιοχήν*) donec rursus ad altare divinum reversus sacrum incipiat psalmorum melos, omni ordine ecclesiastico (*διακόσμησις*) sacram ipsi psalmodiam succinente. Nullo enim modo haec psalmorum sacra modulatio, quae fere omnibus sacris mysteriis quasi substantialis coniungitur, ab omnium sanctissimo erat divellenda; aptum enim fidelibus semper adfert animum, qui ipsam divine ac sancte recitant et probae innuit vitae disciplinam et quae hanc praecedit omnimodam corruptae pravitatis expiationem.

113. Ubi autem haec hymnologia animae nostrae affectus ad ea quae paulo post celebranda sunt (*ἱερουργεῖν*) rite disposuit, divinorumque carminum concentu quum ad res divinas tum ad nosmetipsos

---

7) Ex vocabulo *σύμβολον, συμβολικὴ ἱερουργία* effici putaverunt nonnulli acatholici (ex. gr. Scultetus, Jos. Scaligerus) autorem nostrum fidei catholicae de Christi in eucharistia reali praesentia non favere, ita ut fere poenituisse eos videatur, quod libros Dionysiacos impostori cuidam V aut VI saeculo viventi et non Pauli discipulo tradiderant. cf. Cord. II p. 419. — Sed ommissis aliis ipsa haec quam ex nostro afferimus ad sacrosanctam eucharistiam oratio (E. III, 3, 2) optime docet, autorem catholice et orthodoxe de hac re et cogitasse et scripsisse. cf. etiam ibid: *ἀμφιέσματα συμβολικῶς τῷ Χριστῷ περικείμενα* et paulo infra: *αἰσθητῶς ὑπ᾽ ὄψιν ἄγων Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν ὡς ἐν εἰκόσι.* E. III, 3, 12 et 13. — Idem etiam patet ex iis quibus hoc augustissimum sacramentum appellat nominibus, videlicet: *ἄρτος, ποτήριον, ἁγιοτάτη τελετή, τελετὴ τελετῶν, συνάξεως τελετή, σύναξις, κοινωνία, κοινωνία τῶν ἱερῶν, θεαρχικὴ κοινωνία, θεαρχικὰ μυστήρια, θειοτάτη εὐχαριστία, τὰ θειότατα, ὑπερκόσμιος τῶν θείων ἱερουργία, ἱερουργία συμβολική,* quae nomina in tertio capite libri de eccles. hierarchia passim inveniuntur. cf. etiam supra No. 103 autoris nostri doctrinam de invisibilis gratiae visibilibus signis vel symbolis.

proximosque nostros diligendos ceu unica concordique chorea sacrorum coaptavit, ea iam, quae hic magis obumbrata sunt, per plures et manifestiores figuras et explicationes dilatantur sacrarum scripturarum lectionibus (ἀναγνώσεσι) quae per liturgos fiunt. Et quidem merito in orbe (ἐν κόσμῳ) post antiquiorem illam traditionem testamentum novum promulgatur, quum praedictionum illius veritatem effectus huius comprobavit. Quibus lectionibus finitis sacro ambitu arcentur catechumeni nondum per divinam regenerationem divinum statum assecuti et cum iis energumeni et poenitentes, illis qui divinorum aspectu et communione digni sunt remanentibus. Quodsi supermundialis illa sacrorum divinorum celebratio (τῶν θείων ἱερουργία) ipsos etiam poenitentes, (τοὺς ἐν μετανοίᾳ) licet quondam eius compotes, repellit — multo magis utique eorum profana erit turba et ab aspectu communioneque sacrorum aliena, qui deiformem vitam deserentes sententiis moribusque perditis daemonibus consentiunt, dum aeterna relinquentes instabilem neque vere existentem sed apparentem delectationem ambiunt et consectantur. Maximum siquidem damnum referrent, si indigne communicarent et ad maiorem rerum divinarum suique contemptum devenirent[8]).

114. Omnibus ideo huiusmodi hominibus exclusis ministrorum quidem alii clausis templi foribus (παρὰ πύλας) assistunt, alii vero aliud quidpiam, quod sit ordinis sui, (τῆς οἰκείας τάξεως) agunt. Ii autem, qui in ministrorum ordine primas tenent partes, una cum sacerdotibus divino altari panem sacrum calicemque benedictionis imponunt, ab universa plenitudine ecclesiae homologiae catholicae hymno praemisso. Hunc autem hymnum alii laudis canticum, (ὑμνολογίαν) alii religionis symbolum (τῆς θρησκείας τὸ σύμβολον) appellant, alii denique hierarchicam eucharistiam i. e. sacroprincipalem gratiarum actionem, quippe quae divinitus ad nos dimanantia bona: creationem videlicet, in pristinum statum revocationem divinarumque rerum communionem grato celebret animo[9]). Ad haec episcopus sacram peragit precationem, sanctamque cunctis pacem adprecatur et dum omnes invicem se amplexantur, mystica sacrorum voluminum recitatio incipit[10]). Quae sancta mutua consalutatio (ἀσπασμός) mentium aequalium sacrosanctam insinuat communionem amabilemque mutuam laetitiam, quae deiformem maxime venustatem et totius sacri ordinis et omnium fidelium conservat. — (E. V, 3, 6). Recitantur autem ii, qui sancte defuncti viventes quodammodo sunt, quippe qui nequaquam mortui sed ex morte ad vitam divinissimam translati et cum Deo uniti sint.

---

8) E. VII, 3, 3.

9) Hoc „symbolum religionis“ panis et vini oblationi praemissum, non fuisse symbolum fidei seu apostolicum seu Nicaeno-Constantinopolitanum, sicut Menardo et Lequienio placuit, nec simplicem fidei professionem (πίστις, ἔκδοσις, κανὼν vel ὅρος πίστεως, ἅγιον μάθημα vel γράμμα apud veteres scriptores nominatam) sed „hymnum, hierarchicam eucharistiam, hymnologiam“ ipsius autoris verba et universa huius ritus descriptio (E. III, 3, 8) apertissime docent. Nunquam certe patres voce ὑμνολογία pro „symbolo fidei“, quod autor noster E. II 2, 6 θεοπαραδότους ἱερολογίας, vocat, usi sunt. — Ceterum ritus symboli Nicaeni recitandi in missae sacrificio circa finem saeculi V demum, (a. 476) Theodore Lectore teste, a Petro Fullone in ecclesiam Antiochenam et a Timotheo Monophysita in ecclesiam Constantinopolitanam invectus est et brevi post ubique invaluit. Unde evincitur autorem nostrum, qui hunc ritum omnino non memorat (id quod G. Bickell ap. Kraus, Realencyklopädie II, 325 falso praetendit) ante annum 476 vixisse. De illa autem, cuius hic mentio fit, hymnologia conferendus est ex. gr. J. Bingham (Antiq. eccles. Hallae 1752. lib. XV, c. 3 tom. VI. p. 318) qui, ubi de praefatione etiam hodie usitata disputavit, adnotat in „constitutionibus apostolicis“ memorari specialiorem quandam gratiarum actionem pro beneficiis in redemptione per Christum acceptis. „Quod integrum symbolum erat“, inquit „quo ecclesia tunc temporis in officio utebatur. Nondum enim sollennis recitatio symboli pars officii ecclesiastici erat, … sed tantum istae doctrinae recitabantur, quae specialioris gratiarum actionis pro incarnatione ac redemptione erant argumentum.“ Cf. B. de Rubeis: de fide autoris … ap. Migne Patr. gr. III, 906.

10) τῶν ἱερῶν πτυχῶν ἀνάῤῥησις. E. III, 2. — πτυχή, quae vox cantionum modulationem interdum significat, est tabula, cui nomina ex. gr. navium aut hominum inscribuntur.

115. Quibus celebratis pontifex adstans coram symbolis non secus ac coram Christo, qui occultissimas nostras cogitationes intuetur, aqua manus abluit una cum sacerdotum ordine venerando. Nam qui lotus est non indiget nisi ut summitates lavet (Jo. 13, 10) per quam utique supremam munditiem fiet, ut divinissimo praeditus habitu deiformitatis, liber futurus sit et expeditus et prorsus uniformis et ad Deum conversus. Unde etiam lotis manibus divini altaris medio assistens circumstantibus solis ministrorum primoribus una cum sacerdotibus sacrosancta Dei munera divinaque Jesu opera collaudat, quae ex divinissima nostri providentia in salutem generis humani sanctissimi Patris beneplacito in Spiritu s. inde ab initio consummavit. Et post hanc spiritualem mysteriorum contemplationem (*νοητὴν θεωρίαν*) iam ad eorundem sacrosanctam accedit consecrationem et quidem ex divino instituto (*ἐπὶ τὴν συμβολικὴν αὐτῶν ἱερουργίαν ἔρχεται καὶ τοῦτο θεοπαραδότως*). Quocirca reverenter post sacras divinorum operum laudes de sacrificio (*ἱερουργία*) dignitatem suam superante se excusat ad Christum prius exclamando: „Tu dixisti, hoc facite in meam commemorationem.“ Postulans deinde, ut hoc sacrificio Dei imitatione dignus efficiatur necnon secundum Christi similitudinem divina celebret (*τὰ θεῖα τελέσαι*) atque omnio pure distribuat, deinde ut ii, qui sacrorum futuri sint participes mysteriorum, digne sancteque communicent, divinissima consecrat mysteria, quae etiam celebrata sub symbolis sancte propositis visenda proponit[11]) ostensisque divinarum operationum (*θεουργιῶν*) muneribus ad sacrosanctam eorum communionem quum ipsemet accedit tum ceteros invitat.

116. Operto enim individuoque pane aperto et revelato necnon in multa diviso, singularique (*ἑνιαίῳ*) calice omnibus impertito, unitatem symbolice multiplicat distribuitque, sacrosanctum in iis sacrificium consummando (*τελῶν*). Atque hic cibus, cuius omnis esca materialis imago quodammodo est, vim habet perficiendi illos quos nutrit. Indigentiam quippe manducantium replens et infirmitatem curans vitam servat, reflorescere facit ac renovat necnon vitalem illis affectum donat simpliciterque tristitiam et imperfectionem abigit atque laetitiam perfectionemque conciliat (Ep. IX, 2). Unum enim illud ac simplex arcanumque Jesu verbum divinissimum, quum in iniquitate essemus, per assumptionem humanitatis nostrae (*τῇ καθ' ἡμᾶς ἐνανθρωπήσει*) in compositionem et aspectum sine ulla sui immutatione pro sua bonitate benignitateque processit, nostrique secum unificam communionem benefice excogitavit, ea quae apud nos humilia sunt, divinae excellentiae suae uniens, ut et nos ipsi per eiusdem immaculatae ac divinae vitae identitatem, tanquam membra corpori, incorporaremur et sic re vera consortes Dei divinarumque rerum participes redderemur. Oportet enim nos, si ad communionem eius adspiramus, divinissimam eius in carne vitam a peccatis liberam contemplari atque imitari, id quod nunquam nobis obveniet nisi divinorum beneficiorum memoriam sacerdotalibus praedicationibus et mysteriis iugiter innovetur. Hoc ideo facimus, ut s. scriptura iubet (Luc. 22, 19) „in eius commemorationem.“

117. Sumpta denique ac data divina communione una cum totius ecclesiae sacra plenitudine in sacram desinit gratiarum actionem pontifex. Et dum populus (profanus sc. — *οἱ πολλοί* — non plenitudo sacra — *πλήρωμα ἱερόν*) in sola divina symbola contuetur, ipse utique pontifex per beatas semper et spiritales visiones hierarchice ad sancta mysteriorum primordia in divini status puritate ducitur. — Ceterum ipsa perceptio mysteriorum eorundem distributionem antecedit. Est enim iste generalis ordo rerum divinarum, ut prius ipse antistes communicet et deinde sacra dona tradet alliis. „Gustate“ inquit s. scriptura „gustate et videte“, quoniam qui sancta divinarum rerum disciplina initiantur, permagnificas quae in illis afferuntur gratias non ingrate certo, sicut nonnulli rerum sacrarum ignari,

---

11) E. III, 3, 12. *Ἱερουργεῖ τὰ θειότατα καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων.*

sed humili pioque animo accipient atque divinissimam earum celsitudinem in communione sancte considerantes supercoelestia Dei beneficia grati collaudabunt[12]).

3. Mysterium unguenti unitivum et illuminativum.

118. Tanta sunt et tam praeclara sanctissimae synaxeos spectacula spiritualia, quae nostri cum uno illo summoque Deo communionem atque coniunctionem praecipuo quodam ritu perficiunt. Verumtamen est alia huic coordinata consecratio (*ταύτης ὁμοταγὴς τελεσιουργία*), quam unguenti mysterium praeceptores sancti appellant[13]). Est autem hoc unguentum (*μύρον*) collectio quaedam fragrantium materiarum, cuius consecratio ita fit, ut exclusis profanis per totum templum cum odoris fragrantia processio instituatur una cum psalmorum et sacrarum scripturarum lectione. Deinde pontifex accipiens unguentum imponit illud divino altari duodecim sacris alis (duorum Seraphinorum) obvelatum[14]), omnibus „alleluia" conclamantibus[15]). Atque completa super eo oratione in sanctissimis quibusque rerum sacrandarum consecrationibus eodem utitur pontifex.

119. Mystica autem illa sacri olei obvelatio occultam et nemini notam sanctorum virorum pietatem et bona eorum opera significat, non coram hominibus facta sed in occulto coram Deo. Etenim sicut in imaginibus sensibilibus, si pictor ad primaevam speciem constanter intendat, nulla re alia visibili distractus, neque secundum quidpiam divisus, illum ipsum qui depingendus est, quodammodo reduplicabit atque ipsammet veritatem in similitudine et archetypum in imagine exprimet: ita iis qui pulchri honestique amantes spirituales quodammodo sunt in mentibus suis pictores, suaveolentis et arcanae pulchritudinis intenta constansque contemplatio infallibilem indet imaginationem. Merito itaque divini illi pictores mentes suas ad fragrantem illam pulchritudinem divinam efformaturi, nullam virtutem agunt, ut ab hominibus videantur, sed sancte in unguento divino, velut in imagine, ecclesiae mysteria velata contemplantur; atque adeo virtutes suas in cordibus suis ad imaginem et similitudinem divinam factis recondunt, solummodo primaevam intelligentiam intuentes. Non enim ea quae ab hominibus magni habentur, sed ea quae iusta sunt et bona diligunt; neque gloriam et auram popularem captant, sed imitatione Dei bonum malumve per se iudicantes, divina quaedam simulacra fiunt verae fragrantiae divinae, imaginibus suis veritatem exprimentis.

---

12) E. III, ubi in toto capitis decursu de sacrificio missae agitur (ap. Cord. II. 280—328). In Renaudotii Liturgiarum orientalium collectione (Frkft. ad Moen. 1847 tom. II p. 201 et ap. Migne l. l. col. 686 ...) inter alias etiam s. Dionysii Athenarum episcopi liturgia exhibetur. Quam liturgiam, etsi ab illa, quam supra secundum autorem nostrum delineavimus, saepius discrepet, nihilominus in universum ad librorum Areopagiticorum normam a Jacobitis confectam et sub Dionysii nomine editam esse suspicantur Morinus l. l. p. 2 et Renaudot l. l. — Jacobitae enim summi faciunt libros nostros, quos Dionysio Areopagitae Baulisi (vox arab. pro Pauli discipulo) vindicant, quia cum veteribus Severianis errori monophysitico eos favere putant.

13) E. IV. ***Μυστήριον τελετῆς μύρου.*** — Quamvis saepissime in libris nostris s. eucharistiae primus inter sacramenta tribuatur locus (cf. E. III, 3, 7 et sup. n. 111 sq.) ex eo tamen, quod de unguenti mysterio ultimo loco agitur, evinci posse videtur, pluris tunc temporis habitum esse sacrum unguentum quam synaxeos mysterium. Verum si rem accuratius inspexerimus, facile fatebimur, systematis sui indole autorem nostrum ad hunc ordinem instituendum coactum quodammodo fuisse. Sacra videlicet eucharistia etiam per presbyteros confici potest, ad consecrationem unguenti autem episcopalis autoritas et dignitas necessaria est, cui, ut infra videbimus, gradus perfections competit. Huic accedit, quod confirmationis sacramentum, cuius materia utique unguentum est, hominem Christianum per poenitentiae et eucharistiae sacramenta ordinarie purgatum et illuminatum quodammodo consummat et perficit.

14) Ritus omnino singularis, cuius apud nullum alium autorem fit mentio. Ceterum quum primis ecclesiae temporibus „omni tempore chrisma conficere" episcopo liceret (cf. Conc. Tolet. a. 400 habitum) necesse non est, ut concludamus, autoris nostri aetate feria quinta hebdomadis maioris „alleluia" cantatum fuisse, id quod hodie non licet. cf. de Rub. l. l. § XI.

15) Intra missarum sollemnia adstante populo fideli unguentum consecratum esse videtur.

120. Re vera enim huius unguenti suavis odor divinissimum Jesum suprasubstantialiter fragrantem mentemque nostram per spirituales distributiones divina voluptate recreantem optime significat, unde etiam ad omnem ferme hierarchicam consecrationem sacramentorum ministri sacro oleo utuntur.

121. Nam divinae regenerationis donum et gratia perficiens sanctissimi unguenti consecrationibus consummatur et baptisterio expiatorio ter in crucis formam idem sanctum oleum infunditur; quin etiam ipsius altaris consecratio purissimi unguenti affusionibus perficitur. Baptizatis vero consummantem illam unctionem divini spiritus illapsum elargiri supra iam vidimus[16]).

122. Est utique haec supercoelestis operatio universae nobis praestitae sanctificationis initium et essentia virtusque perfectiva. Etenim si Jesus, qui est altare nostrum divinissimum, coelestium mentium divina est consecratio, supramundanis quoque oculis illud altare intueamur, quod unguento sacro initiatum est et in quo omnia sanctificantur. Jesus Christus enim se ipsum pro nobis sanctificans omni nos replet sanctitate, dum ea, quae in altari geruntur, per dispensationem ad nos veluti a Deo genitos benigne dimanant. Unde etiam sanctum hoc unguenti mysterium consecratio vocatur *κατ᾽ ἐξοχήν*, (*τελετὴ κ. ἑ.*) quia re vera omnia consecrat et consummat[17]).

Initiationibus autem purgantibus, illuminantibus et consummantibus tria quoque respondent initiantium genera, de quibus nunc singillatim est disputandum.

II. De mysteriorum initiatoribus.

123. Qui sanctissima sacramenta administrant in tres potissimum, uti iam supra diximus, dividuntur ordines[18]) quorum primi, liturgi sc. seu ministri, expiant, secundi qui presbyteri vocantur illustrant, tertii i. e. episcopi perficiunt, ita tamen ut ordo episcopalis seu pontificius non perficiendi tantummodo, sed etiam illuminandi et expiandi vim habeat, ac potestas sacerdotum praeter illuminandi facultatem expiandi quoque contineat scientiam, inferiores vero ad superiorum functiones transire non possint. Haec enim est sacrosancta Deitatis lex, ut per prima ea quae sequuntur ad divinissimam eius lucem adducantur. Annon sensibiles quoque substantias elementorum cernimus primum ad ea, quae ipsis magis cognata sunt, accedere ac per illa deinde efficacitatem suam ad alia derivare?[19]).

124. Triplex autem sacrorum initiatorum divisio varia quoque et ab invicem diversa innuitur consecratione et ordinatione. Quamvis enim nonnulla habeant in ordinatione communia, videlicet ut unicuique signum crucis a consecrante pontifice imprimatur et singulis sancta praedicatio (*ἀνάῤῥησις*) perficiensquae osculum adhibeatur, in aliis tamen valde inter se differunt.

Pontifex enim (*ἱεράρχης* s. *ἱεροτελεστής*) utroque genu flexo ante altare supra caput habet scripturas a Deo traditas manumque pontificis, qui sanctissimis apprecationibus (*ἐπικλήσεσιν*) illum consecrat.

Presbyter (*ἱερεύς*) utroque poplite ante altare flexo in capite habet dextram tantummodo pontificis et hoc modo ab eo consecratur.

---

16) No. 109. — E. II, 3, 8. IV, 3, 11. His librorum nostrorum testimoniis ipsi catechismi Romani autores nituntur, qui Dionysii Areopagitae ea esse putant. Cf. II, 3, 11: „Quod autem ea (sc. unctio) sit huius sacramenti materia cum s. ecclesia et concilia perpetuo docuerunt, tum a sancto Dionysio et complurimis aliis gravissimis patribus traditum est.“ — Inter gravissimos ergo patres etiam noster a catechismo Romano numeratur.

17) E. cap. IV integrum.

18) E. V, 1, 3 et Pontificale Rom. in consecratione diaconi: „Sacri muneris servitutem trinis gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens.“

19) E. V, 1, 4.

Diaconus denique (λειτουργός) unum genu flectens ante divinum altare supra caput habet dextram pontificis[20]).

1. De pontificibus.

125. Pontificum itaque divinus ordo summus est et ultimus, in quo et absolvitur et perficitur omnis hierarchiae nostrae distinctio. Etenim quilibet circa Deum versantium ordo deiformior est eo qui magis distat, necnon lucidiora sunt quae verae luci magis appropinquant. Non autem localiter (τοπικῶς) sumenda est haec propinquitas, sed secundum capacitatem recipiendi Deum[21]). Unde sicut hierarchiam omnem videmus in Jesum desinere, ita unamquamque in suum hierarchen. Haec pontificalis ordinis virtus in omnes sacros dimanat ordines et per omnes sacerdotes ministrosque proprie mysteria perficit. Licet enim a presbyteris veneranda quaedam sacramenta conficiantur, nunquam tamen presbyter divinam regenerationem sine divinissimo illo unguento consummabit, neque divinae communionis mysteria consecrabit, nisi communionis sacramenta divinissimo altari fuerint imposita; quin immo ne sacerdos quidem erit, nisi pontificiis initiationibus ad sortem istam fuerit promotus. Quapropter lex divina (ἡ θεία θεσμοθεσία) hierarchicorum ordinum sanctificationem et unguenti divini consecrationem sacramque altaris benedictionem perficientibus pontificum virtutibus unifice (ἑνιαίως) attribuit[22]).

126. Huc accedit quod segregandi potestatem (ἀφοριστικὰς δυνάμεις) habent pontifices, tanquam interpretes divinarum iustificationum; non quod irrationabilibus eorum motibus sapientissima Divinitas serviliter obsequatur, sed quod ipsimet spiritu mysteriorum principali movente pro meritis iudicatos secernant. „Accipite enim“ inquit s. spiritus, „spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis et quorum retinueritis retenta sunt“[23]). (Jo. 20, 22. Matth. 16, 19).

127. Quare episcopi tum hac tum ceteris sanctis facultatibus ita utantur, sicut eos Deus mysteriorum auctor inspiravit. Nequaquam etiam motu proprio et ad suum arbitrium sacros ordines conferant, sed secundum voluntatem et electionem Dei, sicut in Matthiae electione factum esse legimus (Acta. 1, 4 et 24) eosdem divinitus celebrent. — Reliqui autem ita pontificibus in his, quae ut pontifices gerunt, pareant, tanquam ab ipso Deo moveantur. „Etenim qui vos spernit me spernit.“ Luc. 10, 16[24]).

2. De presbyteris.

128. Presbyterorum ordo, qui illuminat, cum pontificibus, quibus subiectus est, propria sua celebrat officia, ad sacra mysteria contuenda manuducit initiatos et ad sanctorum mysteriorum communionem eos admittit, deinde vero ad pontificem remittit, ut disciplinam expetant mysteriorum quae viderunt[25]). (τῶν τελετῶν ἐποψίας). Oportet autem eos pios esse et sanctos. Quo enim pacto divinas populo virtutes enuntiabunt, quum earundem vim ipsi ignorent? vel quomodo illuminabunt, qui sunt obtenebrati? quave ratione spiritum sanctum impertientur, qui neque affectu neque veritate spiritum sanctum crediderunt?[26]).

3. De diaconis.

129. Ordo ministrorum seu diaconorum expiat et discernit dissimilia, antequam ad sacerdotum sacra veniant. Itaque in baptismo ministri eum, qui ad illum accedit antiqua veste exuunt atque

---

20) E. V, 2. Mysticam horum rituum significationem cf. ib. V, 3, 1—8.
21) Ep. VIII, 2.
22) E. V, 1, 5.
23) E. VII, 3, 7. Sacramentum poenitentiae haud obscure hic significat.
24) E. V, 3, 5. Ep. VIII, 1.
25) E. V, 1, 6.
26) Ep. VIII, 2.

discalceant et ad occidentem abrenuntiandi causa sistunt, hortantes, ut ab obscuris ad ea se transferat quae illuminant. Expiatorius ergo est diaconorum ordo et purgans imperfectos, quos etiam fovet purgantibus eloquiorum illustrationibus et doctrinis. Praeterea profanos a sacerdotibus arcet, propter quod pontificio instituto sacris quoque foribus praeficitur, ut significetur eorum, qui ad sacra veniunt, accessum omnimodis illustrationibus esse expiandum[27]).

III. De ordinibus initiandis.[28])

Tribus his sacrorum ministrorum ordinibus tres illi, quos iam nominavimus, catechumenorum, plebis sanctae et monachorum respondent gradus.

1. De catechumenis et reliquis purgandis.

130. Primi qui expiantur ii sunt, qui a sacris functionibus et consecrationibus segregantur, quorum alii quidem a sacris arcentur, quia adhuc a ministris ad vitalem partem verbis obstetricantibus foventur atque efformantur, alii vero quia ad eam, a qua defecerunt, vitae sanctimoniam nondum (per poenitentiam) prorsus reverterunt, alii autem quia adhuc contrariis pavoribus ignaviter terrentur atque ideo potentibus adhuc eloquiis corroborantur, alii quia nondum ab operibus perversis ad bona opera omnino sunt conversi, ceteri denique, quia iam traducti quidem sunt ad bonam vitam, sed nondum constantiam in divinis immutabilibusque scientiis sunt consecuti. Haec enim varia sunt genera eorum, qui cura ministrorum purgantur, ut perfecte expiati ad illuminantem sacrificiorum contemplationem et communionem traducantur[29]).

2. De plebe sancta.

131. Medium deinde gradum tenent ii, qui sacramentorum gaudent aspectu eorumque in omni puritate participes existunt. Hic gradus ab omni labe nefaria expiatus et castam immobilemque mentis constantiam adeptus ad contemplandi scientiam sanctorumque sacramentorum communionem sacerdotum opera promovetur ideoque aptissime „sancti populi“ (*ἱερὸς λαός*) nomine appelatur).

3. De monachis[30]).

132. Summus vero eorum qui perficiuntur gradus est ordo sacer monachorum, qui perficienti pontificum ordini traditi sacra illorum scientia ad perfectissima pro suo modulo evehuntur perfectionem. Hinc sancti praeceptores nostri (*οἱ θεῖοι καθηγεμόνες*) therapeutas sive monachos quum a sincero Dei famulatu cultuque tum ab individua et singulari vita eos appellaverunt. Qua de causa lex sancta specialem eis invocationem indulsit et consecrationem, non quidem pontificiam (*ἱεραρχικήν*) quae in solis sacris ordinibus adhibetur, attamen sanctificantem et illi similem.

---

27) E. V, 1, 7. Subdiaconorum nulla aut obscura saltem apud nostrum fit mentio, quamvis liturgorum varii ordines et gradus (E. III, 2 et E. V, 1, 7) expresse distinguantur. Cantores autem qui E. III, 3, 5 memorantur peculiarem ordinem non constituunt. — Ceterum nemo mirabitur, quod non omnes ecclesiastici ritus et ordines ab auctore descripti sunt, qui animo attenderit, finem eius non alium utique esse, quam ecclesiasticam hierarchiam angelicae et coelestis instar secundum triplicem purificationis, illuminationis, unionis viam distinguere. Cf. infra adnot. 30.

28) E. VI, 1, 1. (*περὶ τῶν τελουμένων τάξεων*).

29) E. VI, 1, 2.

30) E. VI. 1, 2. 3, 1—6 et Halloixii de iis dissertationem ap. Cord II. p. 421—425. De reliquis sacramentis disputat ib. p. 417—420. Ceteroquin monachos apud Dionysium nihil aliud esse nisi nostros clericos minorum ordinum, vel ipse contextus docet. Id quod alia data occasione fusius demonstrabimus. Cf. infra n. 133.

133. Initiandus nempe ante altare adstat sacerdoti, mysticam supra eum invocationem prosequenti. Qua finita sacerdos primum rogat, an omnibus rebus dividuis renuntiet, tum exponit illi vitam perfectissimam, contestans mediam vivendi rationem ab ipso superari debere. Quapropter multa ex iis, quae a medio gradu sine reprehensione fiunt, monachis omnino interdicta sunt, quippe qui cum divina monade copulari et ad sacerdotalem vitam prae ceteris efformari debeant (E. V, 3, 2). Professione facta sacerdos signo crucis initiandum consignat atque tres personas divinas invocando tondet, quae tonsura (*τριχῶν ἀπόκαρσις*) vitam indicat nullatenus fucatam neque fictis adscitisque ornamentis et pompis, quibus mentis deformitas tegatur, calamistratam, sed singularibus virtutibus ornatam Deique similem. Deinde omni veste detracta alia eum induit et cum ceteris viris sanctis adstantibus ipsum salutans participem facit divinorum mysteriorum; non solum idcirco, quod huius sacramenti perceptio summa sit et consummatio cuiuslibet hierarchicae perfectionis, verum etiam, ut omnes sancti et fideles divinissimi huius muneris (eucharistiae) communione participes existant ad suae deificationis promotionem et perfectionem.

134. Ordinatis autem monachis adytorum postes sunt assignati, iuxta quos etiam initiantur et adstant, (*καθ' ἃς καὶ τελοῦνται*) non ad custodiam earundem sed ut agnoscant, se et scientia et ordinatione sua plus populo quam sacerdotibus similes esse[31]).

135. Hoc modo hierarchia nostra, secundum tres illos initiationum, initiantium et initiatorum digesta terniones, conformis est non solum legali sed etiam coelestibus hierarchiis, dum deiformes notas signaque Deum exprimentia pro viribus conservat et spiritalem eorum intelligentiam perquirere non cessat. Unde re vera sicut finis praeteritae legalis, sic initium est et inchoatio futurae coelestis hierarchiae[32]).

---

[31]) Ep. VIII, 1.
[32]) E. VI, 3, 5.

Appendix I.

Conspectus theologiae Dionysiacae (*n. 1—7*).

A. De ascensione mentis ad Deum (n. 8). Quae fit
- *I. per revelationem in rebus creatis, sensibilium imaginum opera, via scilicet causalitatis (n. 9). A quibus tamen imaginibus memoria purganda est fide divina, ut*
- *II. per revelationem in divinis eloquiis — s. scriptura sc. et traditione — depositam, via eminentiae, intellectus illuminetur (n. 10—16). Unde per spem sanctam orationibus comprobatam (n. 17) ascendendum est*
- *III. ad revelationem divinam in mente Deo unita, quae quidem mystica visio et unio, super memoriam et intellectum eminens, via fit negationis, per charitatem imitatione Christi et sui ipsius omniumque rerum creatarum totali abdicatione perfectam (n. 18—22).*

B. De Deo Deique nominibus (n. 23—25).
- *I. De superessentialibus Dei nominibus*
  - *1. De unitate divina (n. 26—27),*
  - *2. De trinitate divina (n. 28—29),*
  - *3. De verbo divino (n. 30—32).*
- *II. De spiritualibus Dei nominibus (n. 33—35).*
  - *1. De universali Dei nomine sive de bonitate divina, quae est*

a. bonitas pura (n. 36),
b. veritas illuminans (n. 37),
c. pulchritudo omnia attrahens et uniens (n. 38).
2. De particularibus Dei nominibus[1] *(n. 39).*
a. De ente et essentia.
α. Aeternitas et omnipraesentia (n. 40),
β. Immensitas et supereminentia (n. 41),
γ. Superessentialitas superunita, omnium diversorum principium (n. 42—44).
b. De vita et omnipotentia
α. Omnipotentia (n. 45),
β. Omnitenentia (n. 46),
γ. Omnium gubernatio et dominatio (n. 46).
c. De intelligentia et sapientia.
α. Omniscientia (n. 47—48),
β. Sanctitas et iustitia (n. 49),
γ. Pax, perfectio et beatitudo (n. 50—52).
III. De sensibilibus Dei nominibus (n. 53).
1. De symbolis ab homine hominisque partibus (n. 54),
2. De symbolis a rerum natura, in primis a quatuor elementis (n. 55),
3. De symbolis a rebus manufactis depromptis (n. 56—58).
C. De Dei ad creaturas descensione (n. 59).
I. De rerum effectione, ubi quaeritur 1. quid 2. quomodo 3. quem ad finem Deus creaverit, (n. 60) quapropter
1. De creatione in universum (n. 61—62). Deus, qui est essentia, vita, intelligentia, creavit
a. creaturas intelligentes (et ideo viventes etiam et entes) quarum nonnullae
α. existentiam habent viventem et intelligentem, non sensibilem et nutritivam (n. 63), aliae
β. autem existentiam viventem et intelligentem simul etiam sensibilem et nutritivam (n. 64);
b. creaturas viventes (entes quidem sed non intelligentes) quarum nonnullae
α. existentiam habent viventem non intelligentem, sed sensibilem et nutritivam, aliae
β. autem existentiam viventem non intelligentem nec sensibilem sed nutritivam (n. 65);
c. creaturas entes tantummodo (neque viventes neque intelligentes) quarum aliae
α. essentiam nec viventem nec intelligentem, nec sensibilem nec nutritivam, sed mobilem, aliae autem habent
β. essentiam nec viventem, nec intelligentem, nec sensibilem, nec nutritivam, nec mobilem, sed solummodo existentem (n. 66)[2].
2. De origine mali (n. 67—73).
3. De coelesti hierarchia (n. 74—76), seu potius de tribus hierarchiis coelestibus, quarum
a. prima (Seraphim, Cherubim, Throni) a Deo ipso perfecta, illustrata et purgata, perficit
b. secundam (Dominationes, Virtutes, Potestates) quae per illuminationem perfecta illuminat
c. tertiam, (Principatus, Archangeli, Angeli) quae illuminata purgat et se ipsam et, quae ipsius custodiae commendatae sunt, hominum hierarchias (n. 77—81).
II. De rerum defectione et refectione (n. 82—86). Fit autem refectio per divinam bonitatem, per Christi Deiviri merita et per hierarchias humanas, quarum

[1] *Memoratu dignum videtur, quod autor, qui C. XI, 2 contendit omnes coelestes spiritus dividi in οὐσίαν καὶ δύναμιν καὶ ἐνεργείαν, hoc principio divisionis in omnibus suis ternionibus usus est, id quod uniquique facile patebit, qui „conspectum“ nostrum secundum hoc schema perlustrare voluerit. — cf. s. n. 62 et 78.*

[2] *Ordo rerum a Deo creatarum hic est: Deus creat I. intelligentia et quidem 1. incorporea i. e. angelos, 2. corporea i. e. homines; II. viventia et quidem 1. sensibilia i. e. animalia, 2. nutritiva i. e. plantas; III. entia et quidem 1. mobilia i. e. sidera coelestia, 2. immobilia i. e. materiam.*

1. *prima est legalis hierarchia, praeterita et symbolica in statu naturae et legis. Quae quidem dividitur in*
   a. *Initiationes, quarum nonnullae*
      α. *purgant — circumcisio et aspersio sanguinis — aliae*
      β. *illuminant — lectio scripturarum, doctrina legis — aliae*
      γ. *perficiunt — oblationes, in primis oblatio expiatoria magna.*
   b. *Initiantes, quorum nonnulli*
      α. *perficiunt, — Pontifex maximus — alii*
      β. *illuminant, — sacerdotes — alii*
      γ. *purgant — levitae.*
   c. *Initiatos, quorum nonnulli*
      α. *purgantur — proselytae et omnes non circumcisi — alii*
      β. *illuminantur — pii Judaei — alii*
      γ. *perficiuntur — Naziraei (n. 87 et 88).*
   Secunda autem hierarchia est
2. *praesens nostra ecclesiastica, symbolico-spiritualis, in statu gratiae (n. 89—92, 101), divisa in*
   a. *Initiationes (n. 102), sc.*
      α. *in baptismum purgativum (n. 102-110),*
      β. *in eucharistiam illuminativam et unitivam (n. 111—117),*
      γ. *in mysterium unguenti illuminativum et unitivum (n. 118—122).*
   b. *Initiatores (n. 123—124) sc.*
      α. *pontifices unientes (n. 125—127),*
      β. *presbyteros illuminantes (n. 128);*
      γ. *diaconos purgantes (n. 129).*
   c. *Initiatos sc.*
      α. *catechumeni et reliqui purgandi (n. 130),*
      β. *plebs sancta illuminanda (n. 131),*
      γ. *monachi perficiendi (n. 132 — 135).*
   Tertia,
3. *hierarchia coelestis futura in statu gloriae, solummodo spiritualis itidem dividitur in*
   a. *initiationes,*
   b. *initiatores*
   c. *et initiatos (n. 93). In quam omnes homines pii et boni excipiendi sunt per*

III. rerum perfectionem, quae fit per
   a. *mortem (n. 94—95),*
   b. *resurrectionem (n. 96),*
   c. *extremum iudicium, quo quidem impii damnantur, iusti autem intrant in requiem aeternam (n. 97—100).*

Appendix II.

Comparatio et collatio „conspectus" praecedentis (App. I.) cum libris

ab autore nostro scriptis.

A. De ascensione mentis ad Deum agit autor ex professo in libro „de mystica theologia", quem ad finem usque perduxisse non videtur (n. 1—22).

B. Doctrinam de Deo Deique nominibus in universum tractat in opere „de divinis nominibus", in quo etiam Christologiam et Ponerologiam complexus est. Attamen

I. de theologia superessentiali inprimis in „divinis hypotyposibus" (n. 23—32),

II. de theologia spirituali inprimis in „divinis nominibus (n. 33—52),

III. de theologia symbolica inprimis in „theologia symbolica" agitur (n. 53—58).

C. Doctrinam de creatione in universum, seu de rerum effectione, defectione, refectione et perfectione in universum tractasse videtur in libro de legali hierarchia; de rerum creatione in specie autem in opere de intelligibilibus et sensibilibus. Quoad singulas

I. creationis partes (n. 59—73)

1. de angelis (angelologia) agit in libro „de coelesti hierarchia“ (n. 74—81),

2. de homibus (anthropologia) in libro „de anima,“

3. de rerum natura (physiologia) in libro „de intelligibilibus et sensibilibus.“

II. Item etiam rerum defectionem, refectionem et perfectionem, tribus comprehendit libris, videlicet

1. primi hominis lapsum, statum naturae et legis libro „de legali hierarchia“ (n. 82—88)

2. statum gratiae, quae tribuitur per ecclesiam a Christo institutam, in libro „de ecclesiastica hierarchia“,

3. statum gloriae (Eschatologiam et Theodiceam) in libro „de iusto et divino iudicio.“ Atque his libris totam Soteriologiam complexus

III. de rerum perfectione et de sempiterna beatorum gloria in „hymnis divinis“ nonnulla significare conatur (n. 89—100), ita ut unicuique ex undecim autoris nostri libris locus proprius in ipsius systemate sit vindicandus.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis enarrabit quinquies per hebd. hora IX.
II. Ius canonicum tradet bis per hebd. horis definiendis.
III. De arte ecclesiastica disseret semel per hebd. hor. def.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O.

I. Theologiam pastoralem docebit sexies per hebdomadem hora IX.
II. De arte catechetica disseret diebus Lunae et Jovis hora VIII.
III. S. Thomae Aquinatis selecta capita interpretabitur horis deff.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O.

I. Quod reliquum est doctrinae de sacramentis et Res novissimas exponet quinquies per hebd. hora X.
II. Selecta capita libri Genesis bis terve per hebd. explicare perget.
III. Grammaticam linguae hebraicae docebit bis terve per hebd. horis definiendis hora II. postmer.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

I. S. Pauli epistolam ad Romanos necnon epistolas quas dicunt pastorales interpretabitur quater per hebd. hora VIII.
II. Antiquitates sacras et domesticas Hebraeorum dabit bis per hebd. hora II.
III. Repetitiones exegeticas instituet semel per hebd. hora definienda.

Dr. Julius Marquardt, P. P. O.

I. Theologiae moralis partem generalem docere perget sexies p. hebd. h. XI.
II. Pauca de patrologia praefatus vitam et scripta Patrum apostolicorum exponet h. def.
III. Repetitorium de selectis doctrinae ethicae capitibus instituet semel p. hebd.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Inscriptiones christianas aliaque antiquitatis Christianae monumenta bis hebdomode h. IX explicabit.
II. Historiam artis antiquae bis hebdomade h. IX enarrabit.
III. Exercitationes philologas h. deff. instituet.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

I. Historiae recentioris partes praecipuas tradet ter per hebdomadem hora XI.
II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae enarrabit bis per hebdomadem hora XI.
III. Primordia et fata linguae theodiscae exponet semel vel bis per hebdomadem hora XI.

Dr. Fridr. Michelis, P. P. O.

Scholas non habebit.

Dr. Wilh. Killing, P. P. O.

I. De legum naturalium divinaeque revelationis consensu disserere perget bis per hebdomadem h. VIII.
II. Astronomiam popularem docebit ter hebdomade h. VIII.
III. Fundamenta chemiae tradet bis hebd. hor. deff.
IV. Calculum differentialem et integralem explicabit horis deff.

Dr. Jos. Krause.

I. Psychologiam tradet bis per hebd. hora X.
II. Metaphysicam docebit bis per hebd. hora X.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, asservat **Prof. Dr. Killing.**

Renuntiatio judiciorum de certamine litterario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in annum currentem propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum pro certamine literario has proposuerat quaestiones:

I. Ex instituto Regio: De discrimine mortate inter et veniale peccatum intercedente ex mente sacrae scripturae et patrum disputetur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De ritibus funerum apud veteres Christianos.

De priore quaestione commentatio tradita est Ordini his inscripta verbis: „Quae sint levia et gravia peccata, non humano sed divino pensanda sunt judicio.“ S. Augustin. Enchiridion c. 77.

Plura sunt, quae dissertationem commendent: et auctoris diligentia in conquirendis sacrae scripturae patrumque testimoniis et rectum plerumque judicium. Id unum displicuit, quod scriptor copiosius de peccatorum gradibus in universum disputavit, quam quod propria et certa gravitatis eorum signa ex litteris divinis et ecclesiasticis demonstrare intendit. Qui tamen defectus impedire non potuit, quin Ordo Theologorum commentationem sollerter conscriptam praemio constituto dignam esse censuerit. — Schedula reclusa nomen prodiit:

Augustinus Bludau, stud. theol.

De altera quaestione dissertatio Ordini subjecta est his insignita verbis: „Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri qui spem non habent“ I. Thessal. 4, 12.

Hujus commentationis scriptor quae de materia proposita praesto sunt perquam diligenter conquisivit, apte disposuit et non sine dexteritate explanavit. Quapropter plane dignus videtur, qui praemio coronetur, quamvis in eo potissimum vituperandus sit, quod autores recentiores, quorum libris usus est, non semper indicavit nec patrum scripta satis accurate laudavit.

Rescissa charta innotuit:

Johannes Kolberg, stud. theol.

Ordo Philosophorum certare iusserat Commilitones de quaestione:

Quid Aeschylus in „Prometheo vincto“ de divina justitia et providentia censeat.

Commentatio Ordini subjecta est una his verbis insignita: *Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου; ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο;*

Quam commentationem qui conscripsit, diligentissime, accuratissime, elegantissime rem tractavit, ut praemio plane dignus videatur.

Aperta schedula nomen prodit:

Augustinus Kallweit, stud. theol.

Commilitonibus Lycei Regii Hosiani pro certamine literario in annum currentem has quaestiones proponit

Ordo Theologorum:

I. Ex instituto Regio: Oratio S. Stephani (Act. Apl. VII, 2 sq.) accurate exponatur atque illustretur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: S. Petrum Romae fuisse ibique cathedram fecisse ex monumentis ecclesiae Romanae demonstretur.

Ordo Philosophorum:

Quid de anima Tertullianus in tractatu iisdem verbis inscripto doceat.

Certantium commentationes sermone latino scriptae et more consueto signatae ante d. XV. Januarii a. 1886 Rectori Lycei tradendae sunt. Victoribus praemia constituta: ex instituto Regio septuaginta quinque, ex stipendio Scheill-Busseano centum marcarum.